

quod personaliter quatuor annos portaverat, nimirum ad zonam appensum, ut nobis nunc moris est, quod signum sodalibus nostris aliis omnibus id tum solemne fuisse; nam, quae rosaria nunc dicimus, ex saeculo 13. et sequentibus Pater noster vocabant. Sic in opere, quod paucis abhinc annis Dominus de la Valbon praelo dedit, cui titulus: memoriae pro historia Delphinatus, p. 286, in quodam computo ab anno 1333 ad annum 1336 reddito sic legitur: pro duobus filiis de Pater noster de Ambro et duobus filiis de Pater noster de Corallo et duobus filiis de Pater noster de Vitro, item pro quatuor filiis de Pater noster de Crystallo etc., quae impensa Romae facta pro Humberto Delfino per eam urbem transeunte signum est, hujusmodi rosaria apud mercatores prostrasse. Idem Humbertus relicto principatu Ordinem Praedicatorum amplexis est et in Ecclesia nostra Parisiis sepultus; super tymbo autem ejus aeneo sodales plures Ordinis ad latera sculpti rosaria manu praeferunt, quod aliud signum, ad zonam appensa in promptu habuisse.

Nec ullo modo omitti possunt caetera, quae leguntur in vita beatae Agnetis de monte Politiano Ordinis Praedicatorum conscripta anno 1350 a beato Raymundo Capuano et impressa tom. 2. mensis Aprilis inter Acta Sanctorum collecta a Bollandianis p. 809, et etiam in vita beatae Clarae Cambacurtae ejusdem Ordinis, quae nata est anno 1362 et cujus vita ex manuscripto s. Dominici Pisarum legi potest citato tomo ad diem 17. Apr., ubi a Bollandianis dicitur conscripta a sanctimoniali coeva Beatae; in vita quippe beatae Agnetis refertur, quamdam sororem in manus accepisse *Pater noster ejusdem Agnetis* et ea deosculatam fuisse et mirum et suavem odorem ex eis manantem sen-

sisse, et in alia vita beatae Clarae Cambacurtae sic dicitur: „Duodecennis effecta supra, quam aetas illa ferat, divinitus illustrata praeventaque apparuit. Ergo saepe cogebat coetus juvenularum, quas circum se con-sedere faciens praelegebat eis aliquid ex libro quopiam pio; itaque ad pietatem incitatas nunc Dei laudes secum cantare jubebat, nunc flexis genibus rosarium dicere aut alias preces.“

43. *Quod denique rosarii devotio fuerit ad universam Ecclesiam a fratribus praedicatoribus extensa et habitum fuerit rosarium tamquam peculiare et pium patrimonium Ordinis s. Dominici, res est*, quae probatione non indiget, cum sit plene et sufficienter notaria adeoque Henricus Spondanus in annalibus ecclesiasticis ad annum 1213 inquit n. 18., ibi: „Sed quod et s. Dominici nuper memoriam opportune renovavimus, haud importunum videri debet, si et meminerimus, his ipsis temporibus, quibus Albigensium haeresis per partes Galliarum et Italiae mire grassabatur etc., praedictum Dominicum etc. modum facilem atque omnibus pervium ac valde pium orandi et precandi Deum excogitasse, nempe rosarium seu psalterium ejusdem Beatae Virginis nuncupatum, quo eadem Virgo salutatione angelica centies et quinquagies ad numerum Davidici psalterii repetita et oratione Dominica ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus totam D. N. J. Chr. vitam demonstrantibus interposita, veneranter colitur hocque orandi modo per Ordinis sui fratres divulgato atque a nonnullis accepto coepisse christifideles iis meditationibus accensos in alios viros repente mutari, haeresum tenebras remitti et lucem catholicae fidei aperiri denique ad hanc orandi formam pro locorum diversitate sodalitates instituit; et loquendo de sui Ordinis religiosis sub-

dit venerabilis Alanus de Rupe in saepe citata apologia ad Episcopum Tornacensem cap. 8.: „Nec minus zelose suum ille Patris Sanctissimi Dominici Praedicatorum ordo et frequentavit domi psalterium et foris ad vulgus praedicando commendavit, tanti exemplo Patriarchae et Magisterio et quamdiu istud in Ordine hoc suffragium mansit, tamdiu religio haec in scientia, viribus et miraculis effloruit.“

44. Nec his, quae hucusque deducta sunt, opponi posse videtur, nullum in actis s. Dominici et auctoribus ei coaevis quique de eo scripserunt, vestigium reperiri de instituto ab ipso rosario; in primis etenim dici posset, Thomam a Cantiprato Ordinis Praedicatorum, qui floruit anno 1620, mentionem fecisse rosarii lib. 2., apud seu de apibus mysticis sive de proprietatibus apum cap. 29. pars. 6., ibi: „Juvenem fuisse prope nostra tempora in Germania partibus certa relatione didicimus, qui mortuis parentibus malorum consilio depravatus haereditatem praeclaram in ludo tesserarum et tabernaculis totaliter dissipavit, cui aliquando patruus miles, volo, ait, ut gloriosam Dei Genitricem Mariam salutes quinquaginta vicibus omni die. Ad hujusmodi verba annuit juvenis; inde post annum dixit eidem patruus: ergo in sequenti anno servitium tuum Christi matri in salutationibus duplicabis. Et juvenis, fiat, inquit. Exacto autem anno secundo, reversus est ad patruum; cui ille nihil restat, nisi, ut anno praesenti propositum fixum experiar. Tu autem medio tempore auxiliatricem tuam in salutationibus quinquagesimae tertiae sedulus honorabis. Nec mora, ubi extremam salutationem tertiae quinquagesimae jam complevit, apparuit ei Gloriosa Virgo lucidior super solem tres thecas in tunica sua, juveni unam anteriorem et duas laterales ostendens: Ecce, in-

quit, salutationes tuae literis aureis scriptae, quibus me in tribus quinquagenis sedulus honorasti. Et eodem lib. 2. cap. 29. particula 8. Quid de triplici quinquagena in salutatione versus angelici Ave Maria anno ab Incarnatione Domini 1251 contigerit, referamus. Vidi et cognovi juvenem in Brabantiae partibus generosum, qui quamvis esset totaliter saeculo deditus, Beatae tamen Virgini Mariae devotus quotidie tres dictas quinquagenas in salutationibus exolverat.“ Cum etenim rosarium ex centum quinquaginta angelicis salutationibus componatur, qui numerus correspondet tribus quinquagenis earundem salutationum a Thoma de Cantiprato relatis, inferri posse videtur, non subsistere assumptum, quod nullus antiquorum et signanter inter coevos s. Dominici meminerit rosarii.

45. At ingenue loquendo, cum Thomas a Cantiprato eas tres salutationum angelicarum quinquagenas non dixerit a s. Dominico institutas et rosarium non componatur ex solis centum quinquaginta salutationibus angelicis, sed etiam ex quindecim orationibus Dominicis atque piis meditationibus, vulgo mysteriis, non evincetur ex narratione Thomae id, quod esset evincendum, quod aliquis videlicet auctor s. Dominico coaevus dixerit, ab eodem fuisse institutum rosarium; quo circa per aliam viam procedendum est et vis est expendenda famigerati argumenti negativi.

46. Pro argumento negativo dissertatio edita fuit a Joanne Launoio qui illud magni ponderis asseruit. Contra Launoium stetit Joannes Baptista Thiers, qui docte ostendit, hujusmodi argumentum saepe nutare. Mabillonius mediam quamdam viam ingressus est in suo opere de studiis monachorum, part. 2. cap. 13., ubi in primis ait, argumentum pure negativum non con-



cludere, nisi illud proferens auctores omnes perlegerit, quorum silentio ininitur et nisi ulterius idem tutus sit, nullam auctoris seu historici contemporanei memoriam conscriptam reperisse et deinde distinguit inter argumentum negativum mixtum, quod habet adjunctum aliquid positivi, ut patet exemplo famigeratae fabulae de Joanna Papissa, quae non solum extrenue impugnatur argumento pure negativo, quod ex silentio auctorum coaeorum desumitur, sed etiam ex aliquo positivo, cum iidem scriptores coevi statim post Leonem quartum ponant Benedictum tertium, nec ullum relinquunt locum memoratae Papissae; concluditque idem Mabillonius, facilius esse ex primo argumenti genere quam in secundo in paralogismum incidere: quam eandem amplexus est etiam Pater Honoratus de Sancta Maria in suis reflexionibus Gallico idiomate conscriptis super regulis et usu criticae tom. 1. dissert. 3. art. 2. et rursus §. 3. p. 216.

47. Applicando autem activa passivis et omisso, an sustinentes institutionem rosarii non esse ad s. Dominicum referendum omnium coaeorum memorias perlegerint, hoc unum mihi certum esse videtur plerasque antiquorum historias et multa earumdem monumenta periisse, tum quia in saepe citata Bulla Leonis X. habetur, quod in historiis legitur s. Dominicum rosarii confraternitatem instituisse in civitate Coloniensi, et hae historiae nec extant, nec est, qui eas legerit; tum quia venerabilis Alanus de Rupe in opere supra citato laudat Thomam de Templo et Joannem de Monte socios s. Dominici, qui in rosarii commendationem libros conscripserunt et horum libri nec manuscripti nec editi inveniuntur; cumque nullus alius inveniatur juxta ea, quae in superioribus dicta sunt, ad quem institutio

rosarii tuto referri possit, deficit illud potissimum, quod admixtum esse debet et superadditum negativo, ut argumentum negativum vim habere valeat et efficaciam; et tam hoc quam alio mox memorato deficiente requisito nullum super argumento negativo fundamentum constitui potest, urgente signanter pia traditione in apostolicis diplomatibus recepta, quae s. Dominicum facit rosarii institutorem, ut bene argumentatur Natalis Alexander in historia ecclesiastica saeculi XIII. et XIV. art. 5. sub n. 5., ibi: „Nec persuadet contrarium Theodorici de Apoldia ea de re silentium in vita s. Dominici et Thomae Cantipratensis tres salutationum angelicarum quinquagenas a quibusdum B. M. V. devotis recitari solitas memorantis, de auctore vero devotionis hujus nihil dicentes; satis enim notum est, quam leve sit negantis argumenti pondus contra positiva disertaque testimonia.“ Et sequitur Amat de Graveson in histor. Eccles. tom. 5. p. 522, ibi: „Proclive est ostendere, morosos illos criticos hallucinari; et primum quidem argumentum, quo nituntur, mere negativum est, ac subinde juxta peritorum criticorum regulam nullius momenti ac ponderis esse debet contra positiva disertaque aliorum scriptorum testimonia, contra avitam ac perpetuam traditionem, quae a tempore s. Dominici ad nostra usque tempora in Ordine fratrum Praedicatorum jugiter fuit conservata, contra etiam diplomata romanorum Pontificum Leonis X., s. Pii V. et Sixti V., qui profitentur, s. Dominicum esse auctorem rosarii.“

48. *Nec facit, quod etiam si non constet, an alius praeter s. Dominicum, instituerit rosarium, probabile tamen est, usum rosarii fuisse apud nonnullos ante s. Patrem Dominicum, in quo rerum statu argumentum non*

est pure negativum, sed est admixtum positivo; nec etenim quid dissimuletur, operae pretium est paucis percurrere documenta, quibus supra dictum assumptum probari valet et paucis etiam examinare, an aliquod ex eis aptum et sufficiens sit ad rem et ad effectum, de quo agitur, et an, illis omnibus minime obstantibus, rosarii institutio semper ad s. Dominicum sit referenda.

49. Ducto ergo initio a supra memoratis monumentis et omissis illis, quae ex Sozomeno et Palladio in superioribus deducta fuerunt, cum nihil aliud praefertant quam piam consuetudinem orationes repetendi et eas per calculos numerandi, ex qua re uti nimis generali ad rosarium inferri non valet, uti supra fuit animadvertum, primum, quod in re nostra exponendum est, monumentum, est illud Concilii Clichittensis in Anglia celebrati anno Domini 816 canone decimo, quod Concilium extat in collectione Labbeana tom. 7. p. 1484 et tom. 1. Conciliorum Angliae collectorum ab Henrico Kellmano p. 331, ubi agendo de exequis Episcoporum sic statuit: „Ut singuli Servorum Dei diem jejunent et triginta diebus canonicis horis ex plena synaxi et septem Beltidem Pater noster pro eo cantentur.“ Nomine etenim Beltidi rosarium significatur, quo precantes utebantur et hujus nominis etymologia derivat ab antiquo anglo-saxonico verbo Belt, quod singulum significat, uti adnotavit Spelmanus in glossario p. 79.

50. Secundum monumentum desumitur ex Gulielmo Malmesburensi monacho et gravi scriptore saeculi XII., qui lib. 4. cap. 4. de pontificibus anglorum agens de fundatoribus monasterii conventriensis haec habet: „De comite Leo Freco et ejus uxore Galdina in ambabus parietibus Conventrecae jacent aedificatores loci prae-

cellentissimi conjuges, quorum maxime praedicatur foemina, quae cum thesauros vivens ibi totos conjecisset, jamjam moritura circum gemmarum, quem filo infunderat, ut singularum contactu singulas orationes incipiens numerum non praetermitteret, hunc ergo gemmarum circum collo imaginis s. Mariae appendi jussit.“ Conditum fuit hoc coenobium anno Christi 1040 ejusque meminerunt monasticum anglicanum Rugeri Rodsuvarthi et Gulielmi Dugdale tom. 1. p. 305 columna 1. et Anglia s. Henrici Warthani tom. 1. p. 433, cumque allegatus Gulielmus Malmesburensis in verbis mox recitatis loquatur de repetitis orationibus, item de iisdem per calculos muneratis, et verisimile admodum sit, ibi agi de orationibus ad B. M. V. effusis, ex quo collo statuae ipsius appensus fuit gemmarum circulus, nihil clarius offerri posse videtur ad suadendum, quod etiam dicto tempore rosarium erat in usu, uti perpenso hoc monumento concludit Mabillon in annalibus benedictinis tom. 4. ad annum Domini 1044 p. 462, ibi: „Dictum gemmarum circum genus quoddam rosarii fuisse verisimilimum est, tum quia ejusmodi rosarii recitatio jam erat in usu.“

51. Tertium desumitur ex aliis supra relatis ex Herimano in Spicilegio, ubi refert, Adam uxorem Theodorici sexagies angelicam salutationem explicasse, et consimilia sunt profecto caetera, quae contigisse leguntur initio saeculi XII., cum apud Surium in historiis sanctorum tom. 2. ad diem 7. Aprilis de Alberto monacho legatur, quod centies per diem flectebat genua et quinquagies prostrato quidem corpore sed articulis et digitis sublevato ad unamquamque genuum curvationem dicebat salutationem angelicam; et de Maria Oegniacensi, quae obiit anno 1213 habeatur apud Vin-



centium Bellocense in speculo historiarum lib. 30. cap. 24., quod totum psalterium legens et stans per singulos psalmos flexis genibus b. Virgini salutationem angelicam offerebat, et Manrichus in annalibus Cisterciensibus ad annum 1226 cap. 4. num. 8. testetur, Jedam monialem cisterciensem undecies centenas orationes dominicales totidemque salutationes angelicas quotidie recitasse, quae omnia non ita difficile ad Rosarium referri possunt, et ad probandum, quod etiam ante s. Dominicum Rosarium erat in usu; nec enim verisimile est, quod enarratae preces a piis illis viris et mulieribus, qui eas tempore enunciato fecerunt, fuerint inventae, sed potius quod eas a majoribus acceperint, in quo rerum themate non solum verum est asserere, nullum scriptorem s. Dominico coaevum dixisse, quod ille fuit auctor et institutor Rosarii, sed ulterius concludi videtur, argumenta non deesse positiva, quibus ostenditur, Rosarium non ab ipso sed ab alio inventum fuisse.

52. Expositis memoratis monumentis juxta methodum propositum transeundum est ad eorum examen et praemisso quidem innegabili facto, hoc est, Rosarium componi ex 150 salutationibus angelicis ad numerum Davidici Psalterii repetitis et oratione dominica ad quamlibet decimam cum certis meditationibus totam D. N. J. Chr. vitam demonstrantibus interposita, nullum adest profecto monumentum, quod ostendat, hanc piam precandi formulam fuisse ab ullo ante s. Dominicum adhibitam. Canon etenim X. Concilii Clichitensis absque dubio designat certum numerum orationum dominicarum, sed nullum numerum indigitat angelicarum salutationum, et eo fortius, cum ex supraprobatis habeatur, ante saeculum XI. non fuisse angelicam salutationem apud fideles in usu, item pium

Galdinae factum a Gulielmo Malmesburensi relatum certum numerum probat orationum in honorem B. M. V. recitatarum, sed qui esset earum numerus, et an inter eas salutio angelica esset recensita, absque dubio ignoratur, ut bene perpendit Mabillon sibimet contrarius in saepe citata praefatione in saeculum quintum ordinis s. Benedicti n. 126., ibi: „An inter orationes illas, quas tactis singulis circuli gemmeis globulis recitabat Galdina, censenda sit salutio Deiparae Virginis, non satis liquet.“ Deique ex aliis monumentis habetur quidem repetita angelica salutio, sed in nonnullis numerus salutationum non correspondet numero salutationum angelicarum, quae in Rosario recitantur, nec in ullo monumento numerus habetur orationum dominicarum et pium meditationum totam Christi vitam complectentium, ex quibus omnibus, uti saepe dictum est, Rosarium nostrum componitur.

53. Adeo ut bene quidem dici valeat, antiquissimum esse et ad primae Ecclesiae saecula pertinere pium usum repetitionis orationum, et eas per lapillos et calculos numerandi et ante s. Dominicum non deesse exempla, quae probant et orationes dominicas et salutationes angelicas repetitas fuisse, et modo praedicto numeratas, sed cum ante s. Dominicum nullum reperiatur vestigium tum numeri orationum dominicarum et angelicarum salutationum tum meditationum, ex quibus omnibus Rosarium nostrum coalescit, non solum cessat illud positivum, quod argumento pure negativo superaddi praetendebatur, sed etiam inconcussum stat assertum tot apostolicarum constitutionum, quae s. Dominicum dicunt Rosarii institutorem, quemadmodum bene agnovit Malvenda in annalibus ordinis Praedicatorum ad annum 1215 pag. 132., ibi: „At quantumvis dixe-

rimus, ante s. Dominicum unum aut alterum speciem quamdam et umbram Rosarii delineasse, verius, quam rem ipsam exhibuisse, caeterum hujus orandi formulae dispositae et aptatae, per 150 salutationes angelicas et 15 orationes dominicas ad totidem globulos seu calculos expressas et numeratas, praecipua 15 nostrae salutis a Christo Domino patrata mysteria pia meditatione percenserentur, primum auctorem et institutorem fuisse s. Dominicum omnes confirmant.“ Hoc eodem modo loquuntur caeteri scriptores dominicani, Justinus videlicet Miechovensis super litanias Beatissimae Virginis tom. 2. per totum, et Graveson in hist. eccl. tom. 5. pag. 525., ibi: „Non inficias tamen eo, obtinuisse apud nonnullos etiam ante s. Dominicum usum recitandi certum orationum dominicarum et salutationum angelicarum numerum, sed contendo hanc precandi formulam longe lateque discrepasse a Rosario, quod instituit s. Dominicus quodque 50 super 100 salutationes angelicas cum 15 salutationibus dominicis complectitur, adjuncta 15 praecipuorum humanae redemptionis mysteriorum pia meditatione. Hanc precandi Deum in honorem Beatae Virginis formulam, quae Rosarium dicitur, fuisse ante s. Dominicum a fidelibus in Ecclesia frequentatam, numquam probare poterunt critici.“ Nec dissimili modo loquitur Spondanus in annalibus ad annum 1213 num. 18. in fine, ubi inquit s. Dominicum fuisse Rosarii institutorem, cum nihilominus antiquissimorum auctorum testimonio constet, jam olim usu recepta fuit orationes adnumerare per lapillos, et quod notatu dignum est, Lezana, qui tom. 3. annalium ad annum Christi 1086 totus est in referenda aliqua Rosarii institutione ad Petrum eremitam, sic tandem concludit: „Tollitur omnis, si vel specie

solum controversia apparere queat, ex eo sane, quod aliud est de Rosarii aut virgineae coronae per globulos numero determinatos, videlicet 63 vel 150 recitationis, veluti solemnitis et antico primo institutore agere, aliud vero de simplici aliqua et privata salutationis angelicae per ipsos globulos indeterminatos et arbitrarios repetitione. Etsi ergo primum illud praeclearissimae praedicatoriae familiae patribus et alumnis debeatur toto acclamante orbe et Summis Pontificibus suis diplomatibus occinentibus, hoc tamen postremo Petro eremita concedi posse.“

54. Ad partes posito, satis non esse, ut quis dicatur auctor et institutor alicujus rei, quod res praecedenter existentes nova quadam methodo disposuerit et ex iisdem quoddam effecerit compositum, hinc inferendo, non sufficere, quod sanctus pater Dominicus 150 salutationes angelicas et 50 orationes dominicales omnium quibusdam meditationibus disposuerit et ex illis Rosarium composuerit, ad effectum, ut idem s. Pater possit haberi pro primo auctore et institutore Rosarii; plura etenim et plura afferi possent ad hujus oppositionis confutationem, sed satis esse videtur illud Geneseos cap. 4., ubi legitur de Enos: *iste coepit invocare nomen Domini*; licet etenim ante Enos homines invocaverint nomen Domini, uti signanter Patres docent de Adam, qui postquam vidit se nihilo creatum ad imaginem et similitudinem Dei, et Evam formatam aspexit similem sibi, erupit in vocem laudis et gratiarum actiones; dicit nihilominus scriptura, quod Enos coepit invocare nomen Domini, qui certos ritus certasque precandi formulas et ceremonias primus omnium invenit, uti bene perpendunt Cardinalis Bona de psalmodia cap. I., Cardinalis Bellarminus lib. 2. de monachis cap. 5.,